

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 282

**Autre(s) référence(s) :** Tabuteau 284

**Bénéficiaire(s) :** Saint-Pierre-sur-Dives, Notre-Dame (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** autre

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1046-1108]

**Action juridique :** fondation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Récit de la fondation et des débuts de l'abbaye de Notre-Dame de Saint-Pierre-sur-Dives.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instr. Eccl. Sag., n° IV, col. 153-156.

Texte établi d'après a

Hic locus in initio quo monasticæ religionis in eo sumpsit ordo principium, quos habuerit fundatores, aut quos quibusve temporibus in sacri regiminis officio successores ad memoriam posterorum non incongruum duximus literis breviter adnotandum. Hunc igitur locum Lescelina comitissa nobilis sponsa Guillermi Augensis egregii consulis, tempore quo Francorum rex Henricus agebat in sceptris, fundavit, possessionibusque ac prædiis quæ ei ex jure dotali competebant ditavit. Verum ut rei hujus series manifestius elucescat paulo est altius repetendum, et quisnam hic Guillermus de quo agimus, quænam etiam quam præfati sumus conjux ejus fuerit intimandum. Hic igitur Guillermus ille est Richardi secundi Normannorum ducis clarissimi frater, qui adhuc minor, in Oximensi castro quod ab eo cum finitimis locis custodiendum acceperat, cum perversorum quorundam consiliis adversus fratrem suum eundem rebellare niteretur, captus ab eo Rothomagumque perductus Turchitillo cuidam viro illustrissimo servandus traditur. Erat autem eidem Turchitillo filia pulchritudine corporis, et sapientia animi, sed et morum honestate præcellens Lescelina nomine, cujus industria idem Guillermus, posteaquam de vinculis quibus tenebatur, evasit, cum in fratris sui gratiam revocatus ab eo etiam consulari esset honore donatus, eam sibi matrimonio sociavit, genuitque ex ea viros sui temporis clarissimos, Robertum scilicet qui sibi postmodum in consulatu Augensi successit, Guillermum etiam qui et ipse apud Suessionem civitatem comes domi militiæque gloria claruit, Hugonem quoque qui in pontificatu Lexoviensi vita pariter et doctrina venerandus effulsit. Ædificavit autem sibi idem comes domum hoc in prædio quod ab antiquis ad sanctum Petrum supra Divam nominatum est. Cui operi dum insisteretur, venit die quadam mulier de villa quæ Vallis vocatur, quæ orationis gratia Curceium properabat, quia sub eodem illuc tempore populorum finitimorum turba frequens ad sanctum Ferreolum confluebat. Subsistens igitur mulier, opusque diligentius intuens sese mox humi prostravit, orationem fudit, et quam manu ferebat oblationem super lapidem posuit, ac eo humiliter exosculato exsurrexit, ac se jam recessura signavit. Admirati itaque hii qui operi insistebant : O inquit, mulier, quidnam est quod agere voluisti ; non est ecclesia quam facimus, sed domus est comitis Guillermi : at illa scio, ait, scio quid fecerim ; vos autem scitote quid agitis : ego enim in nomine Domini, et in honore beatæ Dei genitricis et perpetuæ virginis Mariæ oblationem, quam ad S. Ferreolum deferebam hoc in loco sacravi, nec ulterius jam quæro progredi : hiis dictis valefaciens ad propria repedavit. Tum vero vehementiori multo admiratione permoti, nos, inquit, domum comiti facere

æstimabamus, sed fortasse ecclesia erit ista quam facimus. Erat etiam in loco hoc sacerdos quidam vitæ venerabilis Gislemarus nomine, qui ecclesiæ beati Petri a quo locus nomen acceperat, a multis annis in presbyteratus officio ministrabat. Hic die quadam cum circumstantibus incolis juxta consuetudinem loqueretur ; videtis, ait, quam sit locus iste despicibilis, quam nullius fere nominis et honoris. Tempus est futurum aliquando, ut videatis in eo conventum primo sanctimonialium, ac deinde religiosorum Deo servientium monachorum : dixit, veraque dixisse eum, rei postmodum exitus approbavit. Nam post viri sui Guillermi videlicet comitis mortem uxor ejus quam prædiximus Lescelina de illius ac sua suorumque salute sollicita, in hoc ipso prædio quod dotali jure cum appenditiis suis ad eam pertinebat domum illam, de qua supra egimus, ecclesiam constituit ; ubi primo quidem sanctimoniales secundum quod vir venerandus prædixerat, aggregavit. Verum quia cum finitimorum superbia pacem habere non potuerunt, Lexovium eas transtulit ; ibique etiam monasterium patrocinate filio suo Hugone superius memorato jam episcopo ædificavit. At vero quid de loco hoc ageret apud se deliberans, tradidit eum primo quidem abbati monasterii quod Fontinella nominatum est instaurandum, sed inchoatum ipse dimisit citius, cum cognovisset eum nequaquam suæ ditionis esse futurum. Tunc comitissa accedens ad venerabilem virum domnum scilicet Isembertum, qui cœnobio sanctæ Trinitatis quod apud Rothomagum in monte situm est præsidebat, multis ab eo precibus impetravit ut sibi concederet quemdam de suis magnæ autoritatis virum et nominis, divinis et humanis apprime studiis eruditum, cui Ainardus vocabulum erat, qui quidem genere Teutoniis, sed omni sapientiæ disciplina erat morumque pariter honestate præclarus. Huic igitur cum possessionibus quas habebat locum hunc tradens adunatis monasticæ vitæ cultoribus eum pastorem præfecit, ac deinde verens ne si in manu filiorum suorum monasterium quod construxerat relinqueretur, earum rerum quas obtulerat aliquando, sicut est mortalium cupiditas, minorationem pateretur, sapienti usa consilio ipsum ab eis pecunia data redemit, eamdemque pactionem, ne quid videlicet ipsi vel eorum heredes in rebus hujus cœnobii suum jure hereditario calumniari in perpetuum possent, in præsentia Guillermi Normannorum principis, postea regis Anglorum, ipsis quoque præsentibus firmavit, atque ibidem hunc locum ejusdem principis, ac successorum suorum dominationi per virgam pastorem quam in manu ejus posuit, subjugavit. Ordinatus igitur domnus Ainardus anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadragesimo sexto, triginta et duobus fere annis huic cœnobio præfuit, vitæque pariter et scientia admirabili suo tempore insignis enituit, cujus ordinationis anno secundo bellum apud Vallum-dunas factum est, cui etiam Henricus Galliæ rex, rogatu Guillermi postea regis Anglorum, interfuit ; ac devictis fugatisque hostibus ab eodem Guillermo in proximum pagum Vilcassinum accepit. At comitissa posteaquam sua omnia monasteriis quæ instruxerat contulit, posteaquam se cunctis facultatibus mundi Dei pro amore nudavit, cum jam eam Dominus vocare dignaretur, tacta incommodo sacrum a filio suo domno Hugone Lexoviensi episcopo velamen accepit, atque anno ab Incarnatione Domini millesimo quinquagesimo septimo, calendis Februariis, a laboribus suis beato fine quievit, corpusque ejus in hac ecclesia quam fundavit honore condigno conditum est. Cujus dormitionis quidem post anno vigesimo, a subjugata autem Normannis Anglia duodecimo, domnus abbas Ainardus, decimo nono calendis Februarii migravit e seculo ; cui domnus Fulcho, qui apud sanctum Ebrulfum prioris ministerio fungebatur, in regiminis hujus ecclesiæ successit officio, quod quidem et ipse novem et viginti circiter annis administravit, excepto eo tempore quo persecutioni quæ adversus eum oborta est, cedens domnum interim Benedictum Rothomagensem, et postea domnum Galterium Gemeticensem habuit successorem. Verum huic dehinc ecclesiæ restitutus post quintum reversionis suæ annum, regnante jam Henrico pro Guillermo fratre suo qui patri in regnum successerat, obiit tertio nonas Aprilis apud Quaintoniam Angliæ civitatem. At non multo post cum jam bellorum procella inter fratres, Henricum videlicet regem Anglorum et Robertum principem Normannorum fuisset exorta, idem dux Robertum quemdam de sancto Dionysio, accepto a suis contra fas pretio, deturbatis religiosus viris qui pravitati ejus conabantur resistere, non abbatem sed furem ac latronem hanc in ecclesiam introduxit ; verum Henricus rex eum cum suis captum, incenso prius monasterio cum ædificiis suis et universo oppido, plurimis quoque vi flammarum adustis, post tertium fere mensem quo advenerat deturbavit, qui et ipse postmodum culpæ exigentibus interemptus dignum factis exitum invenit. Igitur post excidium cum jam rex Henricus superato fratre suo Normannia potiretur, reversis qui dispersi erant fratribus, domnum Radulphum qui cellerarii in hoc monasterio functus erat ministerio, virum simplicitate animi et innocentia præditum, abbatem constituit, qui et ipse quatuor solum annis totidemque mensibus administrato officio post se domnum Richardum successorem reliquit, de Aquila cognominatum. Videns itaque præfatus vir inclitus Henricus rex Angliæ et dux Normanniæ damnum quod ipse intulerat huic monasterio per combustionem supra dictam, pro restauratione et satisfactione ipsius damni fecit nobis chartam suam apud Argentonium, in qua concessit et confirmavit specialiter et generaliter omnes possessiones et res nostras, præcipiens et volens eas esse liberrimas et immunes ab omni subjectione tanquam proprium dominium suum, nihil sibi vel successoribus suis in terra nostra retinens præter aurum, si subtus terram repertum fuerit, et

exceptis placitis de expeditione sua et duello de placito monetæ, si bellum seu duellum exinde oriatur, addens in fine dictæ chartæ quod ea quæ ibi scripta sunt concedit pro restauratione et satisfactione damni et destructionis prædictæ per ipsum factæ, anno Domini millesimo centesimo octavo.